





Q.K.398,30.

In  
3825

# HELMSTADIUM

SECVLIS XIV. — XV.

PER

## FRAVWENRADAM

VALDE AFLICTVM

TANDEM DIPLOMATIBVS ET BVLLIS

MAGNI PII DVCIS BRVNSVICENSIS

IOANNIS AC HENRICI ABBATVM WERDINENSIVM

MARTINI V. PAPAE ET FRIDERICI III. IMPERATORIS

MAGNO CONATV AB EADEM LIBERATVM.

E MVSEO

IO. ANDR. SCHMIDII D. P. P.

ABBATIS MARIAEVALLENSIS.

---

HELMSTADII,

TYPIS HERMANNI DANIELIS HAMMII, ACAD. TYPOGR.



14.





**E**x eo tempore , quo mihi consensu nobilissimi  
& amplissimi senatus Helmstadiensis perlustrare  
licut archivum, quod in nova curia asservatur,  
varia observavi , quae statum ecclesiae, curiae, civitatis-  
que secundum atque adversum concernebant. Longe  
plura & maiora sperare potuisse , nisi post mortem  
*Henrici VI.* imp. quae anno **M CXCVII.** in Sicilia accidit,  
*Philippo Sueviae & Ottone Saxoniae* ducibus de imperio  
dimicantibus , (a) *Ludolphus XVII.* Magdeburgensum  
archiepiscopus, *Otoni* imp. infensissimus , *Philippo* autem  
in castris iunctus , haereditaria illius bona in itinere  
Brunsvigam versus expugnans & incendens , etiam  
Helmstadium nostrum anno **M CXCIX.** diripiisset & to-  
tum in cineres redegisset. (b) Periere enim tunc, culpa  
unius episcopi, cuius munus erat innocentes servare, non  
perdere, plurima priscae antiquitatis monumenta, has  
vicinasque regiones illustratura, & rapaci flammæ leve  
ac breve dederunt pabulum. Ingens hoc esse damnum,  
nullo unquam modo reparandum , facile intelligent illi,  
qui mecum cogitabunt, urbem illam esse antiquorem  
urbibus vicinis omnibus , Magdeburgo, Goslaria, Hal-  
berstadio & Brunsviga. Cum vero factum infectum  
fieri nequeat , nobisque praeter illorum desiderium  
nihil relinquatur , nostrum nunc erit iis uti fruique

A 2 bonis,

(a) Krantz, Sax. lib. 7. c. 15. p. 183. sq. (b) Chron. Magdeb. ap.  
Meibom. tom. 2. opp. p. 329.

bonis, quae post seculi decimi tertii initium fuere servata: atque totos in eo esse, ut eadem ab obliuione & interitu vindicentur. Ea inter inveni, quae parochialis templi *S. Stephani*, ante haec tempora extra urbem siti, histriam respiciunt, multorum scilicet episcoporum indulgentias, ad fabricam illius promovendam concessas, fraternitates corporis Christi, & B. Mariae praecipue in varia pauperum commoda institutas, officia ecclesiastica, novarum missiarum fundationes, donationes altarium in usus ecclesiae rectorum & plebanorum, solennes eleemosynarum erogationes, pentas olim dictas, & quae non alia. Deprehendi praeterea, senatus Helmstadiensis, cuius diversorum officiorum tituli in diplomatis leguntur, nec non totius civitatis magnam illo aevo ubique fuisse autoritatem: unde factum scimus, quod ab aliis civitatibus, episcopo etiam Halberstadiensi, iudices fuerint delecti, foederibus aliarum civitatum se ad sociaverint, & ab Hanseatica quoque societate literas acceperint. Praecipue autem in illis documentis summa cum voluptate notavi senatus providam curam, quam erga cives suos quavis data occasione indefessam demonstravit, sive eorum utilitates essent iuvandae, sive damna repellenda. Vnicum ea de re in publicum hac vice producam argumentum, quando senatus in abrogatione consuetudinis illius, quae *Fravenrada* vocabatur, quaeque cives plurimos ad incitas fere redegerat, per multos annos desudavit, neque cessavit, nisi ea penitus extirpata. Laboris huius mentionem quidem fecit B. *Henricus Meibomius* senior, immortale Iuliae nostrae decus, in oratione *de origine Helmstadii*, (a) qui ad literas provocavit, infra a me iuxta

(a) loc. cit. tom. 3. p. 233. ubi ita se habent B. Viri verba: Anno 1358. Ioannes abbas Werthiensis ad instantiam senatus, ne cives depauperarentur, abrogavit consuetudinem illam, qua postulabatur ab exteris, qui uxores ex urbe Helmstadio duxerant, ut nullo

iuxta annorum seriem adducendas ; cum vero pro ratione scopi, quem eo tempore vir laudatus habebat, brevibus id fieret , nec hodie quis, tabulis prius non inspectis, intelligat ex illis verbis, qualis ista tam noxia consuetudo fuerit, ex re esse putavi, totum negotium cum ipsis diplomaticis exhibere ad historicam huius capitis illustrationem. Quo ipso tamen nemo putabit, me falcem in alienam messiem mittere, cui nec animus, nec vires sunt vel argumenti huius naturam explicandi aut quaestiones in eo occurrentes enodandi : id potius ago, ut in horis succisivis, si quae mihi conceduntur, historiae huius civitatis aliquid a me detur, simulque aliis inserviatur, quod cuivis integrum esse arbitror.

Silicet ante haec tempora obtinuerat ex iure sa-  
xonico apud Helmstadienses, quemadmodum & vici-  
nos alios, *Frauwenrada*, *Vrowenrada*, quae in literis &  
iuris & consuetudinis nomine venire solet. Est vero  
*Frauwenrada* idem ac *Frauwengereed*, respondetque *Gera-  
dae*, quatenus opponitur *Hergewetiae*, quasi *Hergewand* sive  
*Heergereeth*. Alias enim vox *Geradae* in generaliori si-  
gnificatione accepta, denotat omnis generis utensilia,  
*geräthe*, quae ad usus communes rei familiaris sunt  
destinata: ex usu autem specialiter sumitur de illis uten-  
silibus, quae usibus foeminarum pro mundo & ornatu  
muliebri sunt concessa, ut omnes vestes muliebres, in-  
cisi panni, & tela itidem caesa ad usum mulieris, lectifor-  
nia, & argentea meliora, annuli aurei & alia mulie-  
bria plurima. Hanc ergo posteriorem acceptancem

## A 3                   Saxones

unquam id tempore in posterum alicui licet. Confirmavit id statim Dux Magnus, & biennio post Henricus abbas, Joannis successor. Cum vero subinde essent, qui contradicerent, ratum id habuit Martinus papa ad annum 1421. & denum Fridericus imp. augustus, qui non hoc tantum, sed simul omnia urbis privilegia, quae ab abbatibus Werthinensis vel habuerint, vel habeant, ad annum 1458, confirmavit.

Saxones nostri, quibus prae aliis saepe datum fuit verbis significantibus res quasdam exhibere, maluerunt exprimere per *Frauenradam*, *Vrowenradam*, ad omnem excludendam ambiguitatem. Ex tenore huius consuetudinis uxore defuncta petere utensilia illa poterant haeredes ex foemina proximi, sive domestici sive exteri, proxime descendentes, dein his deficientibus ascendentibus, & tandem agnati atque cognati, exclusis marito eiusque filiis. Quamvis autem cum *Heergewetta*, tum *Frauenrada* rationes habuerint non contemendas, ob quas olim fuerant introductae: successu tamen temporis factum, ut prava hominum interpretatione, utensilium istorum, quae ad usum praeprimis mulierum referebantur, immodica plane statueretur quantitas, ex qua non tantum variae lites obortae, sed & singulare praeiudicium ac damnum in maritos atque liberos, nec non ipsam rem publicam redundavit; dum mariti, bonis illis subtractis, ad extremam saepe paupertatem redacti, solum vertere egebantur. Accidit idem hoc Helmstadiensibus, ut ex singulis fere diplomatis constabit, praecipue autem ex Martini V. bullâ, cuius particulam, quae sine dubio ex literis senatus desumpta, in antecessum dabimus, ita se habentem: — *talem in oppido ipso detestabilem vizuisse aliquandiu inince observarè consuetudinem, quod inter coniuges inibi mulieribus sublatis de medio & superstitiis maritis, omnia & singula vestimenta, leliernia, popula, torcularia, aurea & argentea, annuli aurei & alia muliebria, Vrowenrade vulgariter nuncupata, ac pro ipsarum ornamentis mulierum deputata bona, in quibus plerumque coniugum eorundem substantiae pars consistebat potior, mulierum praedictarum ex sacrum parte narratum haeredibus proximis cesserant, maritis ipsis ac etiam coniugum eorundem extantibus liberis plerumque propterea paupertatis & egestatis notae subaltis, unde plares ex illis debitorum & aliorum onerum*

rum sarcinis obvoluti excules fieri cogebantur ab oppido morato &c. Cum vero boni magistratus sit, quoties observat, constitutiones quasdam in damna & pernitiem subditorum, imo ipsius reipublicae, tandem vergere, istas vel mutare vel abrogare, prout rerum status exigerit: etiam senatus Helmstadiensis, easdem officii partes expleturus, in eo totus fuit, ut ab illis, penes quos in ordine ecclesiastico & civili summa tunc temporis potestas erat, concessionem & facultatem impetraret consuetudinem istam *Frauenradae* penitus tollendi. Literis ergo humillimis anno M CCC LVIII. senatus adiit MAGNUM ducem Brunsvicensem, nec non IOANNEM abbatem Werdinensem & Helmstadiensem, qui tunc tempore dominium in oppido habebant, atque ab his, proposita civium suorum conditione misera, potestatem accepit ac omnimodam auctoritatem ius istud evelendi, ab HENRICO quoque abbe Werdinensi, JOANNIS successore, statim anno M CCC LXI confirmatam. Ut vero his decretis maius accederet robur, idem senatus anno MCCCC XX. a MARTINO V. pontifice summo, & anno MCCCCLVIII. a FRIDERICO III. romanorum imperatore eorundem confirmationem supplex rogavit, & ab utroque clementissime obtinuit, imo ab eodem FRIDERICO omnium simul iurium & privilegiorum, quae a ducibus Brunsvicensibus & abbatibus monasterii Werdinensis acceperat civitas, approbationem plenissimam. Hae literae postea ubique terrarum vicinarum instar scutis omnibus, qui utensilibus istis inhiabant, obiiciebantur, post integrum seculi decursum Helmstadienses ab hoc malo tandem liberantes.

Sed iucundius forte erit, ipsa legere diplomata eo ordine, quo fuerant exarata. Literae quidem senatus & civitatis, quibus abrogationem *Frauenradae* quaesiverant, sine dubio in monasterio Werdinensi & Romae

ad huc

adhuc asservantur; tenor autem earum facillime colligi poterit ex diplomatibus & bullis ea de re datis. Illorum primum est *Magni ducis Brunsvicensium*, quod ita se habet:

MCCCLVIII. *In nomine Domini Amen.* Nos MAGNVS dux Dei gratia in Brunswick ad notitiam omnium, quorum interest aut interesse poterit, cupimus pervenire. Cum dominorum interest subdiorum commodi damosa evellendo profectusque inferendo legalius insudare. Hinc est quod nos in quantum nostra de iure interest seu interesse poterit, maturo consilio cum nostris fidelibus prachabito damus. & per praesentes concedimus, nostris fidelibus consilibus ac civibus opidi Helmstad potestatem ac omnimodam autoritatem abrogandi quoddam ius ibidem reipublicae praeiudiciale & dampnosum pluribus de causis, prout experientia hac tenus docuit & nostris auribus veraciter insonuit, quo hereditariae successiones in rebus hereditariis muliebribus, proprio Vrowenrad dicti, locum hactenus habuerunt, & nos id ipsum evellimus, evulsionem nec non abrogationem ipsius praesentibus confirmantes: ita videlicet quod istud ius inibi imperpetuum amplius nullatenus relevetur. Non obstante quod simile ius in civitate Magdeborch viget seu frequenteretur, ad cuius consistorium a tribunali Helmstadiensi est consuetum appellari, cum hoc usum fuerit expedire. Nihilominus si quid contra huiusmodi dationem nostram seu concessionem attemptatum fuerit per appellationem, per simplicem querelam vel quovis alio modo, decernimus ipso facto esse irritum & inane, volentes dictos consules & cives nostros nostri opidi Helmstad in abrogatione dicti iuri & ipsius abrogationis confirmatione contra quolibet proplacitare, defensare diligenti opera & tueri. In cuius rei testimonium sigillum nostrum praesenti literae est appensum. Datum anno Dni. M CCC LVIII, ipso die beati Thome apostoli.

Est Brunsvicensis dux MAGNVS, cognomento Pius, MAGNI Torquati, (a) a torque argenteo, quem in paren-

thes (a) Kranztio dux catenatus vocatur l. c. lib. 9, cap. 36. p. 155.

tis

171

tis ludibrium collo gestabat, dicti pater, ad quem non uno nomine, post mortem fratris OTTONIS Largi, terras Brunsvicenses pervenerant. (a) Hunc adire necessum habebant Helmstadienses: ipsorum enim oppidum situm erat in illius territorio, & dux praeterea gaudebat monasterii advocatia, a maioribus ad eum devoluta, per quam tenebatur illos tueri, defendere, atque a damnis, ut ipse fatetur in literis, pro virili liberare. Praestit id quoque dux egregie, & contra vel dicentibus, vel agentibus consuetam a tribunali Helmstadiensi ad consistorium Magdeburgense appellationem denegavit, vel, si facta fuerit, irritam ac inanem declaravit. Debet namque GERHARDVS abbas Werthensis civibus hoc privilegium, ut, si quis gravatum se a iudice crederet, ad scabinos Magdeburgicos ei liceret appellare & item devolvere; quod hoc in casu, simili iure in civitate Magdeburg vigente, fieri non poterat.

Cum vero urbis dominium adhuc spectaret ad abbates Werdinenses & Helmstadienses, horum quoque auxilium erat implorandum, quod eodem anno & die senatus gratiōe conformiterque ducali diplomati, concessit IOANNES, in ordine secundus, de Arsbor, ex Brabantiae principum sanguine natus, (b) qui abbatiae utriusque ab anno MCCCXLIV. iam praefuerat. Dedit is sequentes literas:

In nomine Domini. Amen. Nos IOANNES dei gratia MCCCXLIV  
abbas monasterii Werdinensis ad notitiam omnium quorum interest aut interesse poterit capimus pervenire. Cum iura condentia aut ea defendere debentis interesse, utilitate publicae ret ac circumstantia personarum, turibus utentium, penitentiis, iniquis, praeiudicitalia & dampnoſa evellere, aequa vero & commodaſa deliberare inserere seu condere, taliaque tueri toto conamine ac firmare.

(a) ibid. cap. 31. p. 255. (b) ut habet R. P. Gregor. Overham, praepositus Helmstad. in annal. monast. Werthi, & Helmstad. MS. 5.

firmare. Unde cum quoddam iure hactenus in oppido nostro Helmstedt densus iam servato, haereditariae successiones in rebus haereditariis muliebribus, quae proprie Vrowenrad dicuntur, locum communiter habuerunt, quod ius pluribus de causis res publicae dicti nostri oppidi, prout veritatis luce clarioribus diccerimus, intollerabiliter est dampnoscere; Quarum ceteris tacitis una causa est, quia cum ibidem duorum coniugum una moritur, & magna pars interdum posteriorum bonorum talium coniugum in rebus huiusmodi muliebribus consistat, talibus haeredi muliebri seu haeredibus traditis aut conditis, coniux superiores seu maritus viduatus cum suis liberis vel sine ipsis aliquando totum tempus vitae suaeg in egestate vel alio modo indecenti statu suo misere deducit, imo ipsam finit in obligatione aeris ac pennis alieni. Hinc est quod nos matura deliberatione prachabita de consensu capituli damus, per presentesque concedimus nostris fidelibus consulibus ac civibus praedioli nostri oppidi Helmstedt, quantum in nobis est, plenam facultatem, potestatem nec non omnipotam autoritatem tollendi, evellendi ac penitus abrogandi huiusmodi consuetudinem in saepedicto oppido Helmstedt, quo ibidem haereditariae successiones in rebus haereditariis muliebribus praemissa locum sibi hactenus vendicabant, ipsis evulsionem nec non abrogationem eiusdem iuris seu consuetudinis in Helmstedt perpetuo duraturam, praesentibus confirmantes; ita videlicet quod ius ipsum in ibidem amplius in perpetuum nullatenus reviviscat, non obstante, quod simile ius in civitate Magdeborch vigeat seu frequenter, ad cuius consistorium a tribunali Helmstadiensi est consuetum appellari, cum hoc visum fuerit expedire. Nibilominus, si quid contra huiusmodi nostram dationem seu concessionem attemptatum fuerit per appellationem, per simplicem querelam, vel quovis alio modo, decernimus ipso facto esse irritum & inane. In cuius rei & facti testimonium propter maiorem certitudinem sigillum nostrum praesentibus est appensum. Datum & actum Werden anno Dni. MCCC LVIII. ipso die beati Thomae apostoli.

Hoc

Hoc IOANNE die IV. Octobris anno M CCCLX. de-  
functo, eidem in abbatia mox successit HENRICVS II.  
Comes de WILdenberg, a quo , cum sequente anno in  
coenobium S. Ludgeri prope Helmstadium venisset,  
senatus Helmstadiensis statim confirmationem literarum,  
ab antecessore datarum, petiit & obtinuit cum clausula  
novi arctiorisque mandati , contra exterros directi,  
cuius tenor est sequens:

In nomine sanctae & individuae Trinitatis. HINRICVS M CCCLX  
dei gratia abbas monasterii Werdinensis ordinis Benedicti Co-  
loniensis dioecesos, sacri imperii princeps devotus , omnibus &  
singulis in perpetuum praesentes literas visuris vel audituris, &  
specialiter dilectis sibi discretae & circumscriptae viris, magistris  
civium, consilibus & toti universitati oppidi sui Helmestade  
Halberstadensis dioecesos, salutem in domino sempiternam. Sa-  
ne petitio vestra nobis oblatia , ut literas quasdam vestras per  
quondam Dnum Iohannem praedecessorem nostrum dicti mona-  
sterii abbatem ultimum pia recordationis concessas & indultas  
super quodam iure novo in oppido nostro Helmestade praedito ob-  
servando, scilicet quod res seu exuviae , quae dicuntur laica  
lingua Vrowenrade, reliquae per mulieres & feminas nulli  
extra oppidum Helmsted praeeditum quoquomodo porrigi , dari  
vel praesentari debeant, confirmare & ratificare dignaremur ;  
qua petitione benigne accepta , & circa eam singulis pensandis  
pensatis & considerandis diligenter consideratis , perspectoque , si  
eam admiserimus , rem publicam in ipso oppido nostro Helmestade  
tiberius vigere , commodius gubernari & defendi , nec non res  
atque facultates oppidanorum eiusdem oppidi nostri tuisius con-  
servari, ipsam petitionem vestram exaudiri & admitti dignam  
censemus , & non solum praeeditas literas quondam domini  
IOANNIS abbatis praedecessoris nostri praeediti nobis oblatae  
quae sic incipiunt: In nomine domini Amen. Nos IOHAN-  
NES Dei gratia abbas monasterii Werdinensis &c, con-

firmare ac ratificare decrevimus, sed etiam ex certa scientia  
 de novo condimus & statuimus in his scriptis, & ab omnibus  
 & singulis praedicti nostri oppidi Helmestad incolis sive oppidanis  
 ex nunc in antea (id est, in futurum) perpetuo temporibus in-  
 violabiliter observari volumus, & mandamus: videlicet, quod  
 exuviae mulierum praedictarum, per mulieres in eodem oppido  
 nostro Helmestad ex nunc iuxta viam univerasac carnis mortis  
 exsolvendo debitum decedentes reliquiae, nulli ullo tempore ex-  
 tra oppidum Helmestad saepe dictum porrigitur, aut quoquo  
 modo porrigi, dari, vel praesentari prae sumuntur. Et si quisquam  
 contra hanc constitutionem nostram forfassis appellare decreverit  
 ad sedem iudicij altioris, huiusmodi appellantem decernimus  
 & statuimus ad appellandum admitti non debere, nec eius ap-  
 pellationi deferri, sed ipsam appellationem irritam, cassam & omni-  
 no niellam reputari, teneri & haberri. In cuius rei testimonium  
 sigillum nostrum duximus his literis appendendum. Datum  
 Helmestade anno Domini MCCC. sexagesimo primo. In die festo  
 conceptionis beatae Mariae virginis gloriose.

Inter ea, quae in his literis sunt observanda,  
 eminet praecipue illud, quod HENRICVS abbas seipsum  
 appelles sacri imperii principem devorum; cum tamen con-  
 stet, abbatiam Werdinensem esse quidem sacri romanii  
 imperii liberam & exemptam, illius autem abbates rever-  
 rendissimos hodie non accenserit imperii principibus.  
 Id quidem a summe venerabili Dn. Roberto von Bockhorst,  
 praeposito ad S. Ludgerum, edoctus sum, HENRICVM I.  
 comitem quoque de Wildenberg in diplomatis ann.  
 MCCXC. & XC. ab ipso RUDOLPHO romanorum rege appelle-  
 lari principem nostrum dilectum; sed in successorum literis  
 tale quid me legisse non memini; neque intermissionis  
 ab hoc facto rationem huc usque indagare potui.  
 Porro nec istud veritati est conveniens, Vrownradam  
 in oppido Helmestede illo tempore potuisse salutari  
 ius novum, quod Ioannes antecessor nominavit dominus iam  
 servatum, ipso iuris saxonici usu idem indicante. In terea  
 tame n

III

tamen HENRICVS speciatim praecipit suis oppidanis, ne quid de haereditatibus muliebribus extra oppidum porrigerent, quod in prioribus saltem in genere prohibitum legimus. Sine dubio enim in superiorum voluntate statim acchievere oppidani, exteris vero maior rigor erat ostendendus.

Hac ratione consultum quidem fuit Helmstadien-sibus, ut liberarentur ab obligatione res mulierum relictas extradendi cum oppidanis, tum exteris in terris Brunsvicensibus: cum vero extranei vicinarum & remo-tiorum terrarum, episcopis aliisque ecclesiasticis subiectarum, non aequo se putarent ad haec mandata adstrictos, & utensilia ista nihilominus postularent, atque denegantibus varias moverent lites, novum remedium post sexaginta annos huic malo erat opponendum. Anno nimirum M CCCCXX. senatus Helmstadiensis to-tum negotium ad pontificem romanum MARTINVM V. detulit, ab eoque petiti, ut abrogationi & extictioni Frowenradae, per MAGNUM ducem & IOANNEM abbatem Werdinensem concessae, confirmationis apostolicae ro-bur adderet. Ut vero alias summis pontificibus in more positum fuit, quascunque causas, quae ad ipsos deferebantur, lubentissime acceptare, illis quovis modo consulere, & hoc ipso potestatis suae amplitudinem ostendere: ita & Martinus V. dilectis filiis proconsulibus, consulibus & universitati oppidi Helmstadiensis paterna auxilia denegare noluit. Haerebat is tunc Florentiae, ad quam, finito concilio Constantiensi, superiori iam anno die xxvi. februarii venerat, cum illi non licaret in urbem Romam, contrariis seditionorum factionibus fluctuantem, tuto se conferre. Quamvis autem ibi in maioribus fuerit occupatus, scilicet in liberandis, ex manibus aliorum, ecclesiasticis ditionibus, non tamen ea, quae minoris momenti negotia videbantur, voluit negligere: sed potius, quod ipse perspectum satis non habebat,

habebat, BERTOLDO cognomento Keghel, (a) abbati Regio-  
Lothariensi in mandatis dedit, ut cognita prius causa  
abrogationem & extinctionem huius consuetudinis  
approbaret & confirmaret. En ipsam bullam!

MECCCCXX.

MARTINVS episcopus servus servorum Dei dilecto filio  
abbati monasterii in regali Littera Halberstadensis dioecesos  
salutem & apostolicam benedictionem. Sie in eminentis apo-  
stolicae dignitatis specula constitutos fidelium nos convenient quo-  
rumlibet qualitates attendere, sicque ipsorum ferventer invi-  
gilare profectibus, ut ab eis cuiusvis dispendii auferatur materia,  
illis nibilominus, quae pro ipsorum indemnitaribus provide facta  
comperimus, ut libata persistant, apostolici adiuvantes munimi-  
nem firmicatem. Sans pro parte dilectorum filiorum proconsul-  
lum, consulum & universitatis opidi Helmstedensis Halbersta-  
densis dioecesos nobis nuper exhibita petitio continebat, quod  
alim quondam MAGNVS dux Brunsvicens & IOHANNES abbas  
monasterii Werdenensis ordinis Sti Benedicti Halberstadensis  
praedictae & Colonensis dioecesum, qui tunc temporale domini-  
num in disto oppido habebant, provide recensentes talem in oppido  
ipso detestabilem viguisse aliquamdiu tuncque observari consue-  
tudinem, quod inter coniuges inibi, mulieribus sublatis de me-  
dio & superstitibus maritus, omnia & singula vestimenta, lecti-  
sternia, pepita, torcularia, aurea & argentea meliora, annuli  
aurei & alia multibria, Vrowenrade vulgariter nuncupata,  
ac pro ipsarum ornamentis mulierum deputata bona, in quibus  
plerumque coniugum corandem substantias pars confessabat potior,  
mulierum praedictarum ex suarum parte matrum haeredibus pro-  
ximis cesserant, maritis ipsis ac etiam coniugum corundem  
exstantibus liberis plerisque propterea paupertatis & egearia  
notae subacti, unde plures ex illis debitorum & aliorum onerum  
farcinti obvoluti exiles fieri cogebantur ab oppido memorato, vo-  
lentesque ipsi dux & abbas super his, quantum in eis erat, dictis  
proconsulibus, consulibus & universitati salubriter providere,

ipsis

(a) vid. summe venerabilis abbas Fabricius in v. veitern Bericht vom  
Stift Könige-Lutter. p. 39.

ipso abrogandi, annulandi, & penitus extinguendi consuetudinem huiusmodi auctoritatem concessorum pariter & facultatem. Cum autem, sicut eadem petitio subiungebat, postmodum ipso proconsules & consules & universitas huiusmodi concessione intentendo adabrogationem, annulationem & extinctionem concesserunt, easdem, prout in quibusdam patentibus desuper confirmatis litteris plenius perspicitur contineri, pro parte proconsulum, consalum & universitatis praedictorum nobis fuit humiliter supplicatum, ut concessione, abrogatione, annulatione & extinctione praedictis procuram subfessentia formiori robur apostolicae confirmationis adiicere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur, qui de praemissis certam notitiam non habemus, huiusmodi supplicationibus inclinati, discrezioni tuae per apostolica scripta mandamus, quatenus, si & postquam tibi de praemissis legitime constiterit, concessionem, abrogationem, annulationem ac extinctionem praedictas & quaecunque inde secuta auctoritate nostra approbes pariter & confirmes. Datum Florentiae VIII. KL. Junii pontificatus nostri anno tertio.

Hanc bullam senatus Helmstadiensis per syndicum suum Fridericum Karlstorpe statim exhibuit abbatum Regio-Lothariensi, cuius nomen quidem non fuit expressum, Bertoldum autem fuisse, & instrumentum sequens, & altera Martini papae bulla indicant. Hic ergo audita causa, cognitisque damnis, quibus ex ea premebatur civitas Helmstadiensis, & praeterea examinatis MAGNI ducis Brunsvicensis, nec non IOANNIS & HENRICI abbatum Werdinensis literis, consuetudinem istam abrogantibus, auctoritate apostolica fretus, non duntaxat illas peculiari instrumento, coram notario & testibus formato, Brunsvigae in curia Henrici abbatis S. Aegidii confirmavit, sed & universis archiepiscopis, episcopis, archidiaconis, iudicibus & officialibus, tam spiritualibus quam secularibus &c. id notum fecit, inhibuitque in virtute sanctae obedientiae & sub poena excommunicationis,

ne quis

ne quis eorum contra abrogationem toties repetitam & approbatam quidpiam innovare praesumeret. Dabimus ipsum documentum, sequentem in modum se habens:

MCCCCXX. Universis & singulis praesentes literas inspecturis. Nos BERTOLDVS Dei gratia abbas monasterii sanctorum Petri & Pauli in regali Luttera ordinis Sci Benedicti Halberstadensis dioecesis tenore praesentium notum facimus, quod nuper honorabilis vir Dominus Fredericus Karlstorp, syndicus & notarius proconsulm, consulm & universitatis opidi Helmstadiensis Halberstadensis dioeces. nobis pro parte corundem litteras sanctissimi in Christo patris & Dni nostri Domini MARTINI divina prouidentia papae quinti, eius vera bulla plumbea cum cordula canapis more romanae curiae bullatas, sanas & integras non vitiolas sed prorsus omni vitio carentes praesentavit, quas cum ea qua decuit reverentia recepisse noveritis in haec verba: MARTINVS episcopus servus servorum Dei dilecto filio abbati monasterii in regali Luttera Halberstadensis dioeces. Salutem &c. Post quarum literarum apostolicarum presentationem & receptionem adprobandum & certificandum nos decretis parentibus literis super abrogationem, annulationem & extinctionem cuiusdam pravae consuetudinis super receptione & extorsione quorundam clenodiorum inter coniuges in oppido praedicto commorantes etiam uxore mortua ab aliquibus haeredibus eiusdem mulieris alias extorsum, de quibus in dictis literis apostolicis fit mentio olim illustris principie Domini MAGNI ducis Brunsvicensis nec non religiosorum virorum Dominorum olim IOANNIS & HINRICI de Wildenberge monasterii Werdenensis ordinis Sci Benedicti Coloniensis dioeces. successive abbatum, sigillis eorum ut apparuit sigillatio & ipsis literis eorum nobis productis & exhibitis diligenter uisis & sigillis earum examinatis tenore infracriptorum & rimatis, praefatus dominus Fredericus nomine dictorum proconsulm, consulm & universitatis nos cum instantia, ut eas & contenta in eis autoritate apostolica

apostolica nobis in hac parte commissa approbaremus & confir-  
 maremus humiliter requisivit, unde attendentes huiusmodi re-  
 quisitionem instam & consonationi, volentes igitur manda-  
 tum apostolicum nobis in hac parte directum reverenter exequi-  
 merito, ut tenemur, ipsis literis exemptionis, abrogationis, annulla-  
 tionis consuetudinis praedictarum diligenter per nos requisitis  
 & examinatis, ut profertur, & ea quae in literis apostolicis praedictis  
 contineri reperimus veritate fulcire. Igitur easdem lite-  
 ras dictorum Domini MAGNI ducis, IOHANNIS & HINRICI  
 abbatum & contenta in eis atque abrogationem, annulationem,  
 extinctionem consuetudinis praedictarum per eosdem olim MAGNUM  
 ducem Brunswicensem, IOHANNEM & HINRICUM successive  
 abbates provide factas, auctoritate apostolica nobis in hac parte  
 commissa approbamus & confirmamus, per nos decernentes ex  
 nunc & in antea seu in futurum, quicquid contra praefatas  
 abrogationes, annulationes, extinctiones consuetudinis  
 praedictarum autem patrum fuerit seu in futurum contigerit at-  
 temptari irriuum & inane, prout etiam praefatus dominus no-  
 ster papa MARTINVS in suis literis apostolicis praedictis similiter  
 decrevit, nullum fore roboris vel momenti, nihilominus vobis  
 universis archiepiscopis, episcopis, archidiaconis, iudicibus &  
 officialibus tam spiritualibus quam secularibus quibuscunque  
 nominibus censeantur, cuiuscunque status, universitatis, con-  
 ditionis & praemonitionis existunt & cuilibet vestrum praemissa  
 omnia & singula intimamus, insinuamus & notificamus, ad  
 vestram notitiam deducimus & deduci volumus per praesentes,  
 ne de praemissis confirmatione & approbatione, ignorantiam praetendere  
 valeatis, verum etiam vobis universis & singulis praedictis & cuilibet vestrum in virtute sanctae obedientiae & sub  
 pena excommunicationis, quam in rebelles quoscunque, trium  
 tamen dierum canonica monitione praemissa, ferimus, in his  
 scriptis districte inhibentes, ne contra praemissas abrogationem  
 annulationem, extinctionem, confirmationem apostolicas tacite  
 vel expresse, direkte vel indirecte, in praediudicium praedictorum  
 proconsulium, consulium & universitatis & exemptionis seu con-  
 firmationis

firmationis, postquam vobis de confirmatione seu approbatione  
praedicti confiterit, quicquam praesumatis innovare seu attem-  
ptare, seu aliquis vestrum praesumat etiam sub poenis & com-  
minationibus in eisdem literis apostolicis expressis. Tenor vero  
literae olim MAGNI ducis Brunswicensis fuit & erat talis: In  
nomine domini Amen. Nos magnus dux dei gracia in  
Brunswick ad noticiam &c. Sigillum, quod huic literae in  
capsula pergamenti appendebat, fuit rotundum in cera glauca,  
in cuius medio apparuit imago leonis currentis, literae circum-  
ferenciales erant tales, videlicet: Sigillum Dei gracia Ma-  
gni ducis Brunswicensis. Secunda littera videlicet olim IO-  
HANNIS abbatie Werдинensis tenor fuit talis: In nomine do-  
mini Amen. Nos IOHANNES Dei gracia abbas Werдинensis  
ad noticiam omnium &c. Sigillum quod huic literae  
appendebat fuit rotundum in cera glauca, in cuius medio ap-  
paruit imago abbatis insulati, per medium habens baculum  
pastorale in manu sinistra, & in dextra digito duos extentes  
se elevatos per modum benedicendi, literae circumferenciales  
erant tales, videlicet. Secretum Iohannis abbatis Werdinensis.  
Sequitur tenor etiam tertiae litterae videlicet olim Hin-  
rici abbatie & fuit talis: In nomine sanctae & individuae  
trinitatis. Hinricus Dei gracia abbas monasterii Wer-  
динensis ordinis Sci Benedicti Coloniensis dioeces. sacri  
imperii princeps devotus omnibus &c. Sigillum quod  
huic litterae appendebat fuit oblongum in cera glauca, in cuius  
medio apparuit imago abbatis insulati sub cymborio (a) stantis,  
habens

(a) Cimborium alias cimbarium perperam sumitur pro ciborio, quod  
hoc loco non accipitur pro pyxide, in qua astervatur eucharistia,  
sed ex usu scriptorum ecclesiasticorum pro regmine & umbraculo  
praecipue altaris, quod quatuor columnis attollitur. Corporibus  
sanctorum talia ciboria leguntur imposita, & in sigillis quoque  
personae stantes vel sedentes sub ciborio apparent. Idem est  
*Supra coelum, supracellum*: id est cortina, quae quatuor colu-  
minis attollitur, vulgo der Himmel, ut sensus sit, er steht unter  
einem Himmel. Vid. de Fresne glossar. tom. I. p. 982. Sacer-  
tus thes. eccles. tom. 2. p. 100. Alteterr. in not. ad Anafast. p. 46, sq.

habens in sinistra manu baculum pastoralem & in manu dextra duos digitos erectos per modum benedicendi, sub cuius pede apparuit clypeus triangularis, in cuius medio figurae trium rotarum apparuerunt; literae circumferentiales erant tales, videlicet Sigillum manus Hinrici de Wildenberge abbatis monasterii Werdinenfis. In quorum fidem & testimonium omnium & singulorum praemissorum & praedicta ad canzelam praesens instrumentum publicum seu processum confirmationis nostrum per Hinricum notarium publicum infra scriptum subscribi & publicari mandavimus nosque sigilli appensione iussimus communiri. Datum & actum in Brunswyk in curia venerabilis ac religiosi viri Domini Hinrici abbatis Sci Egidii ibidem Halberstadiensis dioecesis anno Domini MCCCC. vicesimo, indictione tercua decima, die Ianuae quinta mensis Novembri hora tertia vel quasi pontificatus dicti domini nostri patris Martini quinti anno tertio, praesentibus honorabilibus & discretis viris dominis Hinrico abbate ipsius monasterii Sci Egidii, Reinero decano ecclesiae sancti Cyriaci extra muros Brunswyk, Iohanne Ember rectore parochialis ecclesiae Sci Andreae Brunsuicensis, & magistro Arnolfo de Bavensen in medicinis Licentiate Clerico Halberstadiensis, Hildensem & Mindensem dioecesis, testibus ad praemissa vocatis specialiter & rogatis.

Et ego Hinricus Weissagen Clericus Halberstadiensis dioecesis publicus imperiali auctoritate notarius, quia huiusmodi tam literarum apostolicarum quam etiam Magni ducis Brunsuicensis, Iohannis & Hinrici abbatum praedictorum productioni, receptioni, earum auctorizationi, examinationi carundemque decreto omnibusque aliis & singulis praemissis, dum sic ut praemittitur, fierent & gerentur una cum praenominatis testibus praefens interfui, eaque sic fieri vidi & audivi, ideoque hoc praefens publicum instrumentum per alium me praepedito fideliter conscriptum subscripti, publicavi, & in hanc publicam formam redigi, signoque & nomine meis solitis & consuetis una cum appensione praedicti domini Bertholdi abbatis sigilli signavi rogatus,

C 2

Cum

Cum haec ita absolvisset abbas BERTOLDVS, mun  
neris sibi commissi rationem sine mora apud MARTINVM  
papam reddidit; & certe videri prudentibus poterat,  
ac si fabula penitus iam esset peracta. Sed quam pa  
rum auctoratis mandata apostolica, sub poena etiam  
excommunicationis denunciata, in his terris habue  
rint, vel ex eo constare potest, quod quidam incolae  
oppidi Helmstadiensis illis morem gerere noluerint, ut  
id propter, sequenti statim anno, senatus ad pontificem  
summum, Romae tunc commorantem, querulosa sua in  
finatione, ut habent verba bullae, recurrere necessum  
habuerit. Mirari quis posset, cur pontificis auxilium  
denuo fuerit implorandum ob nonnullos oppidanos im  
morigeros, qui per ducem Brunsvicensem & ab  
batem Werdinensem facile coerceri potuissent; nisi  
forte observaverint vicinos episcopos & principes non  
impedire exterios, ne tale quid molirentur, contra quos  
tamen priora mandata praeprimis erant directa. Quic  
quid de eo sit, aegre id tulit MARTINVS papa, & mox per  
literas executorias apostolicas praecepit abbatii S. Micha  
elis Hildensem & S. Sebastiani Magdeburgensis, S. Bo  
nifacii Hamelensis, Mindensis dioeces. ecclesiarum de  
canis, ut abrogationem eiusque confirmationem sar  
tam testamque fervent, & contradictiones omnes per  
censuram ecclesiasticam appellatione postposita com  
pescant. De his omnibus nos certos reddit bulla sequens:

MCCCCXXI. Martinus episcopus servus servorum dei dilectis filiis  
abbati monasterii Sci Michaelis Hildensem & sancti Seba  
stiani Magdeburgensis ac sancti Bonifacii Hamelensis, Minden  
sis dioeces. ecclesiarum decanis salutem & apostolicam benedictio  
nem. Dudum siquidem pro parte dilectorum filiorum procon  
sulum, consulum & universitatis opidi Helmstedensis Halber  
stadt. dioeces. nobis exposito, quod olim quondam MAGNVS  
dux

dux Brunsvicensis & IOHANNES abbas monasterii Werdinen sis  
 ordinis sancti Benedicti Halberstadiensis praedictae & Colonensis  
 dioeces. tunc domini temporales opidi dicti considerantes quan-  
 dam iniquam consuetudinem viguisse in opido memorato,  
 ipsi proconsulibus, consulibus & universitati abrogandi,  
 nullandi & penitus extinguendi consuetudinem huius-  
 modi auctoritatem concesserunt pariter & facultatem, &  
 deinde, postquam idem proconsules, consules & universitas ad  
 abrogationem, annulationem & extictionem processerant an-  
 te dictas, nobis humiliter supplicarunt, ut abrogationem, annul-  
 lationem & extinctionem huiusmodi confirmare autoritate apo-  
 stolica dignaremur. Nos dilecto filio abbati monasterii in regali  
 Luttera dictas Halberst. dioeces., eius proprio nomine non ex-  
 presso, nostris dedimus literis in mandatis, ut si & postquam  
 sibi de quibusdam narratis inibi legitime constaret, abrogationem,  
 annulationem & extinctionem praedictas & quaocunque inde  
 secura, approbare pariter & confirmaret. Tenor vero dictarum  
 literarum sequitur in haec verba: Martinus episcopus ser-  
 vus servorum dei dilecto filio abbati monasterii in regali  
 Luttera Halberstadiensis dioeces. salutem &c. Cum  
 autem, sicut querulosa ipsorum proconsulum, consulum & uni-  
 versitatis insinuacione perceperimus, quamvis dilectus filius BER-  
 TOLDVS abbas dicti monasterii, postquam sibi de narratis huius-  
 modi legitime constiterat, abrogationem, annulationem & ex-  
 tinctionem praedictas & omnia inde secura approbasset pariter &  
 confirmasset, tamen nonnulli ex incolis & habitatoribus dicti  
 opidi abrogationem, annulationem, extictionem & confirma-  
 tionem praedictas infringere non timescant. Nos volentes quod  
 praedictae literae nostrae debitum sortiantur effectum, discrecione  
 vestrae per apostolica scripta mandamus, quatenus vos vel duo  
 aut unus vestrum per vos vel alium seu alios praefatos procon-  
 sules, consules & universitatem vel aliquem ex eis aut incolis &  
 habitatoribus supradictis super dicta consuetudine non permittan-  
 sis contra eamundem abrogationis, annulationis, extictionis &  
 confirmationis nostras tenorem a quoquam indebit molestaris:

non obstantibus in contrarium facientibus quibuscumque, seu, si  
incolis & habitatoribus praeditis vel quibusvis aliis communiter  
vel divisim a sede apostolica sit indultum, quod interdicti, suspen-  
di vel excommunicari non possint per litteras apostolicas, non fa-  
cientes plenam & expressam ad verbo ad verbum de indulto  
huiusmodi mentionem, contradictiones per censoriam ecclesiasti-  
cam appellatione postposita compescendo. Datum Romae apud  
Sanctum Petrum XVI. Kl. Iunii, Pontificatus nostri anno quarto.

Quamprimum haec bulla in nostras venerat ter-  
ras, HENRICVS, decanus ecclesiae S. Sebastiani Magde-  
burgensis, utpote Helmstadio vicinior, suo & suorum  
collegarum nomine, pluribus non tantum archiepisco-  
pis, episcopis & aliis viris ecclesiasticis, sed etiam du-  
cibus, principibus aliquique magistratibus mandata ponti-  
ficiis feria significavit, eosque sedulo monuit, ne ipsi  
vel per se, vel per alios contra indultum, Helmstadien-  
sibus concessum, aliquid susciperent, vel suspicere permit-  
terent. Delinquentibus, praemissa sex dierum canonica  
monitione, excommunicationem denunciavit certissi-  
mam, ea tamen differentia, ut archiepiscopis, & epi-  
scopis, ob reverentiam pontificalium dignitatum plura  
sextidua, & per ea plures gradus, (interdicti scil. in-  
gressus ecclesiae, suspensionis a divinis & tandem ex-  
communicationis) concedantur. Vices etiam suas  
aliis commisit rigide observandas, sola absolutione ab  
istis poenis sibi suisque collegis reservata. Plenius haec  
omnia intelligimus ex ipsis literis, quas legere iuvabit.

MCCC CXX.

Reverendissimis ac reverendis in Christo Patribus Domi-  
nis Aaguntinensi, Coloniensi, Bremensi, Magdeburgensi, Pra-  
agensi, archiepiscopis, ac Halberstadensi, Hildesemensi, Mers-  
burgensi, Missenensi, Nuemburgensi, Brandenburgensi, Havel-  
bergensi, Lubicensi, Verdensi, Padburnensi, Osnaburgensi, Min-  
densi episcopis uestrisque & cuiilibet uestrum in spiritualibus &  
temporalibus vicariis, officialibus generalibus, abbatis, prio-

e 3

ribus, praepositis, decanis, scholasticis, thesaurariis, cantoribus  
 & capitulis ac personis tam metropolitanarum, quam cathedralium & collegiarum, parochialiumque ecclesiarum praedictarum, ac eorum vicariis locatenentibus, presbyteris, clericis quibusunque, nec non monasteriorum tam regularium, quam religiosorum professorum personis, prioribus, guardianis; nec non universis & singulis illustribus principibus, ducibus Brunsvicensi, Luneburgensi, Bavariae & Magnipolens., baronibus, comitibus, milittibus, ballivis, marschaleis, & officialibus eorundem & vallis, proconsulibus, consulibus, incolis, civibus, gubernatoriis, pratoribus, iustitiariis, sculpetis, scabinis, indicibus civitatum, opidorum ac universitatibus quibusunque praesens negotium executionis tangentibus, ac illis vel illi, quos, vel quem infra scriptum tangit negotium seu tangere poterit quomodolibet in futurum, quibusunque nominibus censeantur, seu quacunque praefulgeant dignitate, HINRICVS Dei & apostolica sedis gratia decanus ecclesie sancti Sebastiani Magdeburgensis, executor ad infra scripta una cum ceteris nostris in hac parte collegis cum clausula, quatenus vos vel duo aut unus vestrum per vos vel alium seu alios &c. a sede apostolica specialiter deputatus, ad quos praesentes nostrae literae per venerint, salutem in Domino, & mandatis nostris, imo verius apostolicis, humiliiter obedire. Literas executorias sanctissimi in Christo patris & domini nostri Domini MARTINI divina providentia papae quinque eius vera bulla plumbea cum cordula canapis more Romanae curiae bullatas, sanas & integras, non vitiatas, nec in aliqua sua parte suspectas, sed omnivito & suspicione carentes, de & super cerio indulcio ac eius confirmatione apostolica, de quibus in ipsis literis apostolicis infra scriptis fit mentio, providis & circumspectis viris proconsulibus, consulibus, oppidanis incolis ipsius oppidi Helmstedensis per dictum Dnrum nostrum MARTINV M papam quintum concessas noveritis recepisse in haec verba: MARTINV episcopus servus servorum Dei dilectis filiis abbatii monasterii S. Michaelis Hildesiensis &c. Post quarum literarum apo-

foliis

stolicarum praesentationem & receptionem suimus pro parte dictorum proconsulum & consulum ac universitatis opidi Helmstedensis Halberstadiensis diaecis, in dictis literis apostolicis nominatorum & expressorum legitime requisiti, ut ad executionem ea runderem & maxime contra rebelles & dictum indulatum praefatis proconsulibus, consulibus, ut profertur, concessum impeditentes procedere & literas apertas decernere dignaremur, humiliter suimus requisiti. Unde attendentes huiusmodi requisitione fore iustum & consonans ratione, volentes huiusmodi literas apostolicas reverenter exequi merito ut tenemur, Vobis universis & singulis supra dictis praedictas literas executorias ac dictum indulatum & exemptionem & hunc universum processum, nec non omnia & singula in eis contenta & conscripta intimamus, insinuamus, ne de praemissis per dissimulatam ignorantiam vos excusare possitis, in futurum notificamus. Nihilominus vobis universis & singulis praedictis pro executione praesentium requisitus praeceperimus ac etiam vos & quilibet vestrum, quos infra scriptum tangit negotium seu tangere poterit quomodo libet, in futurum auctoritate apostolica nobis in hac parte commissa tenore praesentium requirimus & monemus primo, secundo, tertio, & peremptorie vobis & cuilibet vestrum in virtute sanctae obedientiae & sub excommunicacionis poena & censuris infra scriptis distincte praincipiendo mandamus, quatenus praefatos proconsules, consules, incolas, inhabitatores & opidanos viriusque sexus ipsius opidi Helmstedensis exemptione, indulto apostolico & confirmatione praedictis seu quicunque vestrum absque impedimentis, disturbo, disbrigacione quibuslibet sub poenis infra scriptis crudere permittatis seu quisquam vestrum permitta pacifice & quiete, verum etiam vobis districte inhibemus, ne contra praedictas abrogationem, annulationem, extinctionem consuetudinis praedictas in praeiudicium corundem proconsulum, consulum, incolarum dicti opidi viriusque sexus coniunctum vel divisim quidquam attempteris seu temptari praesumatis, nec eosdem proconsules & consules opidanos contra eisdem abrogationes, annulationes perversae

perversae consuetudinis directe vel indirecte molestetis seu male-  
 stari faciat, nec impedientibus ipsis proconsules, consules & in-  
 colas detinunt seu dent auxilium, consilium vel favorem publice vel  
 occulte, directe vel indirecte per vos vel per alios seu alium,  
 quovis quaesito colore, aliqui in contradictores & rebelles omnes  
 singulariter in singulos nec non impedientes ipsis proconsules, &  
 consiles, incolas opidanos seu aliquem ipsorum coniunctim vel  
 divisi in exemptione praedicta nimirumque sexus huiusmodi no-  
 stri mandatis, requisitionibus, inhibitionibus non parentes cum  
 effectu, salva moderatione infra scripta circa vos reverendissi-  
 mos patres archiepiscopos, nec non reverendos dominos episcopos,  
 ex nunc prout ex tunc, & ex tunc prout ex nunc, sex dierum ca-  
 nonica monitione praemissa, excommunicantur, in capitula seu  
 in consularium vero & communitatem in praemissis, seu aliquo  
 praemissorum delinquentes suspensionis a divinis, & in ipsa opida  
 seu civitates, castra, villas, in quibus ipsis rebelles contradictores  
 forte habitaverint, interdicti sententias ferimus in his scriptis.  
 Vobis vero reverendissimis ac reverendis patribus dominis ar-  
 chiepiscopis, episcopis praedictis, quibus ob reverentiam vestrarum  
 pontificalium dignitatum in hac parte duximus deferendum, si  
 contra praemissa vel aliquod praemissorum, quod absit, feceritis  
 per vos vel submissam personam, ex nunc prout ex tunc & ex  
 tunc prout ex nunc, dicta sex dierum canonica monitione prae-  
 missa, ingressum ecclesiae interdicimus in his scriptis: si vero hu-  
 iusmodi interdictum per alios sex dies, huiusmodi sex dies im-  
 mediate sequentes, sustinueritis, vos similiter, eadem sex die-  
 rum canonica monitione praemissa, ex nunc prout ex tunc vos  
 & quemlibet vestrum rebellem suspendimus a divinis; verum  
 etiam si praefati interdicti suspensionis sententias per alios sex  
 dies, sex dies ultimos immediate sequentes, animis, quod absit,  
 sustinueritis iudicatus, seu aliquis vestrum sustinuerit, ex tunc  
 prout ex nunc, dicta canonica monitione praemissa, vos & quem-  
 libet vestrum in hac parte rebellem in his scriptis excommunica-  
 tionis sententia innodamus; praeterea si ipsi rebelles cuiuscunq[ue]

D

statu

statim fuerint seu conditionis, excepta dignitate pontificali praedita, praesentibus nostris processibus & mandatis, imo verius apostolicis, non paruerint, & de rebellione ipsorum & ciuilibus ipsorum pro parte dictorum proconsulum & consulum, incalaram opidi Helmstedensis certificati fueritis, eosdem rebelles singularis dominicis diebus & festis excommunicatos infra missarum solemnia publice de ambonibus nuncietis, seu nunciari faciatis, & non cessantes ab his, donec a nobis vel superiori nostro aliud repperitis in mandatis. Ceterum cum ad executionem ulteriorem huiusmodi negotii ad praesens alii arditis negotiis praepediis personaliter nequimus interesse, vobis universis & singulariis abbatibus, prioribus, praepositis, decanis, scholasticis, archidiaconis, cantoribus, theaurariis, eam cathedralium, quam collegiarum ecclesiarum canonici, clericis & notariis publicis quibuscunque per dictas provincias Magdeburgensem, Moguntiensem, Bremensem, Hildensem, Halberstadiensem, civitates & dioeceses, & alii ubilibet constitutis & eorum cuilibet in solidum super ulteriori executione huiusmodi mandati apostolici tenore praesentium committimus vices nostras, donec eas ad nos duxerimus revocandas, quos etiam & quemlibet vestrum requirimus & monemus, vobisque & vestrum cuilibet in virtute sanctae obedientiae & sub excommunicationis poena, quam in vos & quemlibet vestrum rebellem, si ea, quae vobis in hac parte commissimus & mandamus, distulerint contumaciter adimplere, districte praecipiendo mandamus, quatenus infra sex dies dum spatium, postquam pro parte dictorum proconsulum & consulum vigore praesentium super hoc fueritis requisiti, vel aliquis vestrum fuerit requisitus, immediate sequentium: quem terminum vobis subdelegatis & vestrum cuilibet pro omni dilatatione & monitione canonica peremptorie praefigimus & assignamus litteras huiusmodi executorias et hunc nostrum praesentem processum & contenta in eis omnibus & singulis supra dictis & aliis, quorum interest, intererit vel interesse poterit in futurum & ipsorum vel alterius eorum praesentiam commode habere poteritis, alioquin in ecclesiis vestris capellis de ambonibus infra missarum

sol-

sollempnia omnia & singula infra scripta vobis, ut permittitur,  
 commissa debitae executioni demandetis, & prout requisiti fue-  
 ritis, contra rebelles & contradictores iuxta dictarum literarum  
 executoriarum & huius nostri processus continentiam & tenorem  
 auctoritate apostolica procedatis, ac vobis & cuilibet vestrum  
 vices nostras plenarie committimus per praesentes, donec eas ad  
 Nos duxerimus revocandas. Et si contingat per nos vel collegam  
 nostrum in praemissis procedere, per hoc non intendimus dictos  
 subdelegatos seu aliquem eorum in aliquo revocare, nisi de re-  
 vocatione facta specialiter duximus rescribendum, praesentem  
 nostrum processum ac omnia & singula iura, instituta & ex-  
 ecutionem volumus penes dictum dominum Iohannem vel eius  
 procuratorem remanere, & non per vos vel aliquem vestrum  
 contra ipsius Iohannis voluntatem quilibet detineri, laniari,  
 vel deturpari, contrarium facientes praefatis nostris sententiis,  
 prout in scriptis superius latae sunt, ipso facto volumus subvia-  
 cere. Mandamus tamen copiam fieri de praemissis eam peten-  
 tibus & habere volentibus, perentium sumptibus & expensis:  
 per processum autem nostrum huiusmodi nolumus nec intendi-  
 mus nostris in aliquo praeiudicare collegis, quo minus ipsi vel  
 eorum alter, servato tamen hoc nostro praesente processu, possint  
 seu possit in huiusmodi executionis negotio procedere, prout eis  
 vel eorum alteri videbitur expedire: absolutionem vero omnium  
 & singulorum, qui praefatae nostras sententias vel eorum ali-  
 quam incurserunt quoquomodo, nobis aut superiori nostro vel  
 collegis nostris tantummodo reservamus. In quorum omnium  
 & singulorum praemissorum fidem & testimonium praesentes  
 nostras literas sive praesens publicum instrumentum, huiusmodi  
 nostrum processum in se continens, exinde fieri & per Iohan-  
 nem notarium publicum infra scriptum subscribi & publicari  
 mandavimus, nostrique sigilli iussimus appensione communiri.  
 Datum & actum Magdeburg in curia habitationis nostrarae anno  
 Domini millesimo quadringentesimo vicecentimo primo, Indictione  
 quarta decima, die martis, vicecenta nona mensis Iunii, hora  
 tercia vel quartia, pontificatus dicti Domini nostri Martini  
 D 2 papae

pape quinti anno quarto, præsentibus nobilibus & discretis  
viris Dominis Iohanne Ember, Hildebrando Questeken  
canonicis ecclesiae Scti Nicolai Magdeburgensis & Nicolao  
Fabri perpetuo vicario in dicta ecclesia Scti Sebastiani Ma-  
gdeburgensis, & quam pluribus aliis fide dignis testibus ad praemissa  
vocatis specialiter & rogatis.

Et ego Iohannes Brunonis clericus Verdensis dioecesis publicus  
imperiali auctoritate notarius, quia huiusmodi literarum apostolicarum  
productioni, receptioni, monitioni, sententiarium fulminacioni &c.

Per has literas executorias processumque, ab HEN-  
RICO decano S. Sebastiani institutum, satis tuti videban-  
tur Helmstadienses contra quoscunque extraneorum  
insultus. Nihilominus, novo forte emergente casu,  
vel ut ultima & suprema huie negotio adderetur auto-  
ritas, senatus Helmstadiensis ere sua esse duxit, ipsam  
adire caesaream maiestatem, eiusque celissimum implorare  
auxilium. Summa rerum in imperio tunc potie-  
batur augustissimus imperator FRIDERICVS III. quem  
alii quartum faciunt, si LUDOVICO Bavarо, per maiora  
electorum vota electo, FRIDERICVS (a) Pulcher oppo-  
situs numeretur: & alii quantum, si in seriem impp.  
veniat FRIDERICVS dux Brunsicensis & Luneburgensis,  
legitime quidem electus, sed ante coronationem perfide  
occisus. (b) Ab eo omnium privilegiorum, quae a ducibus  
Brunsicensibus & abbatibus Werdinensis a multis re-  
tro temporibus Helmstadienses impetrarunt, & ea inter  
speciatim illorum, quibus consuetudo Floweradæ fuit  
abrogata, humillime petiit confirmationem, & eius ab  
imperatore anno MCCCC LVIII. clementissime concessæ  
factus fuit compos, ut literæ caesareae testantur:

FRI-  
(a) De cuius electione, coronatione & post triennalem captivitatem  
de imperio rom. pari potestate deinceps administrando concorda,  
plura habet Lambetus, in additamento I. ad sacri missericordia  
Cellensis deiarum: De Imp. Friderico Maximiliani I. patre, utrum  
is tertius eius nominis, an quartus, vel quintus cognominan-  
dus sit? num. 218, sqq. p. m. 69, sqq. (b) vid. idem. I. & p. m. 81.

FRIDERICVS divina favente clementia Romanorum MCCCCCLVIII  
 imperator semper augustus, ac Austriae, Stiriae, Karinthiae  
 & Carniolae dux, Dominus Marchiae Sclavonicae ac Portus  
 Naonis, Comes in Habsburg, Tyrolis, Phiretis, & in Kyburg,  
 Marchio Burgoviae & Landgravius Alsaciae. Notum faci-  
 mus tenore praesentium universis. Quia pro parte Burgima-  
 gisti, proconsulum & consulum opidi Helmestadensis Halberst.  
 dioeces, nostrorum & imperii sacri fidelium dilectorum nostrae  
 imperiali maiestati exituit supplicatum, quatenus praefatis bur-  
 gimagistro, proconsilibus, consulibus ac communitati dicti opi-  
 di & eorum successoribus omnia & singula eorum iura, privi-  
 legia, gratias & libertates, ipsis ab ipsis principibus ducio-  
 bus Brunsvicensibus ac etiam abbatis monasterii Verdinensis,  
 Coloniensis dioeces, data & concessa seu datas & concessas, prout ipsa  
 ac ipsas rite obtinuerunt ab eisdem, nec non cuiusdam praetensae  
 consuetudinis de successione bonorum videlicet contingatarum per-  
 sonarum quondam obseruari solitae, vulgariter Frawenrada  
 nuncuparas, abrogationem & extictionem, per praefatos Duces  
 atque abbates factas & per sanctam apostolicam sedem confirmatas,  
 auctoritate nostra romana caesarea confirmare dignaremur gra-  
 tiose. Nos igitur supplicationibus huiusmodi benigniter incli-  
 nati, animo liberato sanoque nostrorum & imperii sacri fidelium  
 accedente consilio, praedictis burgimagistro, proconsilibus, consul-  
 libus & communitati opidi praedicti & eorum successoribus  
 omnia & singula eorum iura, privilegia, gratias & libertates  
 ipsis a praedictis ducibus, principibus nostris atque abbatis data  
 & concessa ac datas & concessas, nec non praetallam abrogatio-  
 nem seu extictionem, in quantum ea & eas rite obtinuerunt,  
 in omnibus & singulis earum clausulis, punctis & articulis, prout  
 scripta sunt, seu scriptae sunt, approbavimus, ratificavimus acque  
 confirmavimus, & quantum de iure debemus, auctoritate nostra  
 romana caesarea ac eius imperialis potestatis plenitude appro-  
 bamus, ratificamus & confirmamus per praesentes, iuribus tamen  
 nostris & imperii sacri in praemissis semper salvis. Nulli ergo  
 omnino hominum liceat hanc nostrae approbationis, ratificationis

D 3

&amp; con-

& confirmationis paginam infringere seu ei a usu temerario quodolibet contraire. Si quis autem hoc attemptare praesumserit, nostrae indignationis ac amissionis viginti marcarum auri puri poenas se noverit incursum: quarum unam nostri aerarie fisco, residuam vero medietatem iniuriam passorum usibus decernimus applicandas, praesentium sub nostrae imperialis maiestatis sigilli testimonio literarum. Datum Wiennae vigesima prima die mensis Iunii Anno Domini millesimo quadragecentesimo quinquagesimo octavo, regni nostri decimo nono, imperie vero decimo septimo. (a)

Ad mandatum Domini imperatoris Ulricus Welezli,  
Vice cancell.

Huic diplomati appensum sigillum rotundum in cera grauca adhuc integrum & illasum, plurima simul exhibet aestumatione dignissima. Paucis illa dabo, quae ab aliis prolixe sunt deducta. (b) Quantitas illius in diametro sex fere digitos aequat. In eo conspicimus in antica sigillum, in postica contrasigillum, & sigillum secretum in fundo anticae. Antica exhibit imperatorem throno turrito insidentem, manu dextra sceptrum, sinistra globum crucigerum tenentem, capite coronam caesaream, quae in mitram quasi episcopalem desinit, (c) gestantem, dispositis circa ipsum insignibus provinciarum Austriacarum, cum hac inscriptione: SIGILLVM. MAIESTAT. FRIDERICI. DEI. GRA. ROMANORVM. IMPERATORIS. SEMPER AVGVSTI. DVCIS AVSTRIE. STIRIE. KARINTHIE. ET. CARNIOLE. COMITISQUE TIROLIS &c. A.E. I.O.V. In folio throni legitur: QV[O]D NATVS EST IN DIE MATHEI APOST. MCCCCXV. Contrasisillum sifit aquilam bicipitem cum septem insignibus, & sequentibus versiculis, in

Sigis-

(a) In originali legitur anno *septimo*, qui error est scribae. (b) Ipsa sigilla aeri incisa exhibentur in historia Friderici III, imp. Aeneac Silvii Argentorati 1685. edita, licet unum eorum originali accurate satis non respondeat, sed sine explicatione: apud ANTON. WECKENIUM VERO in descriptione Dresdae pag. 23. accuratius cum aliqua observatione. De illis plura notavit S.R. DN. Heineccius in synt. hist. de sigillis p.76. 109. sqq. (c) eius figuram vid. ap. Heineccium loc. cit. p.208. num. 32.

Sigismundi sigillo etiam observatis: **AQVILA EZECHIELIS**  
**SPONTE MISSA EST DE CELIS VOLAT IPSA SINE META QVO**  
**NEC VATES (al. ALES.) NEC PROPHETA EVOLAVIT ALCIVS. A.E.**  
**I. O. II.** Sigillum secretum octangulum in fundo impressum indicat, diploma ab imperatore esse revisum, & continent tria scuta, caesareum, Austriacum & Tirolense, cum A. E. I. O. V. & supra caesareum scutum F. A. quod ita explicatur: *Fridericus Austriacus*. Weckius quidem in suo ectypo legit F. T. H. sed illud T. per vitra inspectum mihi exhibuit vel crucem, vel ornatum ex summitate coronae surgentem. Quid vero sibi velint versiculi illi in contrafigillo expressi: **AQVILA EZECHIELIS &c.** summe reverendus DN. D. HEINECCIVS, me quidem iudice, acu tetigisse videtur. (a) Literae autem illae initiales A. E. I. O. V. in uno hoc sigillo ter repetitae, fuerunt FRIDERICI imp. symbolum, quo omnia eius mandato vel facta, vel extructa signavit, & cuius explicationem lingua latina & germanica ipse in diario suo, quod in bibliotheca caesarea Vindobonensi assertur, manu sua dedit: **AVSTRIAEST IMPERARE ORBI VNIVERSO : ALLES ERDREICH IST OESTREICH VNTERTHAN :** referente Petro Lambecio in diario sacri itineris Cellensis. (b) Dederunt quinque illae literae curiosis ingenii occasionem, XXXVIII earum explicationes exhibendi, quarum una & altera mentem imperatoris expressit, reliquae vero vel lusus sunt ingenii elegantes, vel ineptae expositiones.

Sic ergo de abrogatione confuetudinis *Fravennadae*, tot literis seculariorum & ecclesiasticorum munita, Helmstadienses plane securi vivebant. Vnum vero adhuc superesse videbatur, de bullis praecipue papalibus & diplomaticis imperatoris habere transumpta, ceu appellantur, ut illis apud exteror loco originalium uti posint. Missi sunt eum in finem anno sequente MCCCLIX. a senatu duo

pro-

(a) loc. cit. pag. 109. sqq. (b) pag. m. 8. sq. edit Hamburg. 1710. fol. conf. eiusdem comment. de bibl. caef. lib. 2. c. 8. pag. 754. sqq.  
 Tenzel, colloq. monstr. ann. 1694. p. 91. sqq. Heinzeccius l.c. p. 110. sqq.

proconsules *Henricus de Osschersleve & Sanderus Bisborp*, syndici simul & procuratores, ad *Gevehardum episcopum Halberstadiensem*, eumque rogarunt, ut ipse, quia (a) proconsules, consules &c. huiusmodi literis in diversis provinciis, dioecesibus, civitatibus, oppidis & aliis locis, & coram iudicibus diversis, tara ordinariis, quam delegatis, necesse uti haberent, ipsaque proper discriminata viarum ac distantias locorum, & variis eveniis inopinabilis non sine gravi periculo de loco ad locum hic illucque ducere & transducere valerent, ideoque debita cum instantia supplicarunt, quatenus huiusmodi literas examinare, transsumere & exemplare, ac in publicam formam cum decreto interpositione, quatenus eidem transumpto, tanquam veris literis originalibus in provinciis, dioecesibus &c. nec non in iudicto & extra ubiunque locorum, ubi ipsis uti contingere, fides plenaria possit adhiberi, redigi facere & mandare dignaretur. Annuit his petitis episcopus, & illis mense aprilii dedit duo transumpta, quorum alterum exhibebat bullas *Martini V.* alterum vero literas imp. *FRIDERICI*, quae huic loco inserendas esse non putavi, cum formulas illo tempore usitatas in se contineant. Interea ex his hucusque ad ductis monumentis satis constare puto, senatum Helmstediensem per integrum seculum & ultra omnem movisse lapidem, nullisque sumtibus, qui certe exigui non fuerunt, pepercisse, ut cives suos a noxia ista consuetudine liberaret, & reipublicam servaret salvam. Debetur idcirco illi soli hic honos, quod in terris hisce primus hunc morem abrogaverit, cum in univerlo hoc ducatu Brunsuicensi & Calenbergico sub *FRIDERICO VLRCICO Duce* demum anno MDCXXV. id fuerit factum. An in aliis regionibus, circa illa tempora, *Frawenrada* tanto eum apparatus & pompa fuerit sepulta, hactenus mihi non innotuit. Rogo igitur eos, quibus datum est tales in archivis evolvere literas, ut si quid cum processu nostro conveniens invenerint, illud benevole mecum communicare, & de reliquo qualecunque hoc schediasma aequi bonique consulere velint.

(a) Sequentia verba leguntur in transumpto Gevehardi episcopi.

W018

**ULB Halle**

003 264 521

3





